

1

QUID PHIDIÆ  
PLATO DEBUERIT?  
THESIM PROPONEBAT

Facultati litterarum parisiensi

CAROLUS LÉVÈQUE,

LICENTIATUS ET LOGICÆ PROFESSOR.



PARISIIS,  
APUD FIRMIN DIDOT FRATRES,  
INSTITUTI TYPOGRAPHOS, VIA JACOB, 56.

1852.





# QUID PHIDIÆ PLATO DEBUERIT?

---

Nulla res est in omni natura , neque ex his quæ ad corpora, neque ex his quæ ad mentem pertinent, quæ è nihilo ad vitam, è tenebris ad lucem derepente erumpat. Ut in præsentibus futura involuta latent, sic in præteritis præsentia olim continebantur, ita ut nulla sit quæ, nisi poeticè, sine matre creata proles dici possit. At id quoque de scriptis philosophorum meritò affirmabit aliquis; et quò altior, quò magis veri propinqua et admiratione digna videtur doctrina, eò pluribus annis, eò majoribus multorum ingeniorum conatibus opus fuit ut sensim elaborata cresceret et tandem absoluta ante omnium oculos produceretur.

Quum autem illam Platonis de pulchro doctrinam

quæ tūm in Symposio, Phædro, Philebo, et Timæo, tūm in nonnullis aliis dialogis legitur, non modo plane laudabilem, sed veritati quoque proximam esse nemo neget, quūm Academicis illis fontibus plerique qui in recentioribus libris hanc perdifficilem tractavere materiam, suos irrigaverint hortos; inter celeberrimos aut philosophos aut artifices qui ante eum floruerunt, hunc divinum Diotimæ sacerdotis interpretem parentes habuisse necesse est. Inter quos si una cum Pythagorā, Anaxagorā et Socrate, Phidiā quoque numeraverim, non nimis temere hoc dixisse videbor. Quis enim Phidiæ signa quæ supersunt, trunca licet et fracta, attentè intuens non in illis nescio quid Platonicum spirare videat? Et quis Agathonis Symposium relegens, Platonem ante Palladis Athenæ faciem in Hecatompedo, aut ante Jovis Olympii signum, τὸ αὐτὸ καθ' αὐτὸ καλὸν celebravisse non credat?

Quod quidem olim et ego ipse sum expertus. Quūm enim Athenis essem, almae beneficio patriæ, et Phidiæ opera non jam, eheu! in Parthenonis fastigio, quæ vera solaque eorum sedes est, collocata, sed in obscuro Turcorum sacello jacentia et abscondita, nec è pentelico marmore, sed è vili conflata gypso (1) assidue tamen inviserem, cœlesti eorum

(1) Græcis potentibus, anno 1846, ut ab Elginio ablatae,

decore, non aliter ac si Platonis dialogos legisset,  
me captum commotumque memini.

Idque mihi sensisse videtur Tullius in Oratore de Phidiâ dicens : « Nec verò ille artifex, quùm faceret Jovis formam aut Minervæ, contemplabatur aliquem è quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam quam intuens, in eâque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat (1). Quæ verò verba ex Academiæ spatiis, ut ipsius sermone utar, collecta, et de Timæo translata, non Phidiæ soli, sed Platoni etiam, nec Platonii tantum, sed Timæi Deo mundum ad idearum similitudinem formanti convenire possunt. Sic, auctore Tullio, hanc sponte et vi ingenii sui impulsus viam secutus erat ad pulcherrimam et Deo verè dignam faciendam aut in ebore, aut in ære, aut in marmore speciem Phidias, quam Plato magnâ cum amplitudine et claritate, poetico simul

quæ nunc in Londini museo sunt, Phidiacæ è marmore deorum sibi redderentur effigies, fictiles tantum, mira quidem liberalitate et juris studio impulsi, Athenas Angli misserunt. Quo fit ut, diebus nostris, ex omnibus quibus ornatum erat utrumque templi fastigium simulacris, nihil remaneat nisi duo corpora quorum, in occidentali fronte sedentium, quæ prisca fuerit forma vix dicere possis.

(1) Cicer. Orator, II.

et philosophico more , in Symposio explicavit.  
Quod quum nemo hactenus probare sibi proposuerit, quam maximâ potuero argumentorum copiâ demonstrare operæ pretium est.

Nobis autem , Phidiaco in agro radicem Platonicæ de pulchritudine doctrinæ querentibus, quod eâ de re philosophus noster Socratem magistrum audiendo didicerit aut prætermittere aut negare minime in animo est. Docebat Sophronisci filius neque in celo neque his in terris sine virtute *nihil unquam pulchrum gigni posse* (1), sicque quodcumque bonum et quodcumque pulchrum est, id unum atque idem esse censebat. Dictabat quoque ille verum et supremum tum picturæ, tum artis statuariae, in eo consistere finem ut animi pulchritudinem invenirent et spectantium oculis offerrent artifices (2). Imo, in Deo qui mundum composuit et continet, et qui rerum universitatem sapientissimo gubernat numine, omnia quæ bona et omnia quæ pulchra dicuntur ab hominibus Socrati videbantur residere (3). Sic discipulorum suorum mentes ad summam pulchritudinem quæ-

(1) Xenoph. Memor., lib. II, p. 739. — Paris., 1625.

(2) Ibid., lib. III, p. 781.

(3) Ibid., lib. IV, p. 802 : Καὶ δ τὸν ὅλον κόσμον συντάττων τε καὶ συνέχων, ενῷ πάντα καλὰ καὶ ἀγαθά ἔστι... x. τ. λ.

rendam convertebat, idque non sermonibus tantum, sed etiam virtutum et vitae totius exemplo. Corpoream autem, quae sub oculos cadit, æternæ pulchritudinis imaginem quae, quotiescumque ad divini decoris ideam nosmet evehere cupimus, tanto nobis est auxilio, Platoni præbere non poterat Socrates. Nec apud Xenophontem, cui multo magis quam Platoni de magistri dictis credendum est, hanc graduum seriem quam, tanquam scalâ, ad hoc ascendimus quod  $\pi\pi\theta'$  ὅλου καλὸν in Convivio vocatur, a Socrate notam aut indicatam repetimus.

At providente Deo qui certis mentes humanas viis dicit regitque legibus, accidit quum natus est Plato, ut, ex eversarum Persico bello ædium pulvere orta, templorum statuarumque nova in Atheniensium arce sylva eniteret. Omnia autem quae exstructa fuerant, Phidiā, qui magnam jamdudum in arte sua famam consecutus erat, et quem ipse diligebat, auctore et moderatore fieri Pericles jussérat, illique Minervæ, quam præcipuo Athenienses verebantur cultu, immensæ magnitudinis imaginem fabricandam et in Hecatompedo ponendam commiserat (1). Quam absolutam, quum propter operum excellentiam in invidiam civium suorum incidis-

(1) Plutarch. in Vitâ Periclis, p. 159.

set (1), et ab aliis fraudis, quòd auri ad statuam Deæ conficiendam adhibiti non æquam visus esset reddere rationem (2), ab aliis autem sacrilegii crimen fuisse accusatus quòd Periclis suamque ipsius imaginem in Minervæ clypeo caelavisset (3), imminentे Peloponnesiaco bello, cujus inter causas ipse numeratur (4), exsilio mulctatus Phidias ad Eleos confugit, ibique in Altis templo Jovis Olympi sculpsit effigiem (5). Hæc verò ita Dei maje-state omnium animos perculit, ut qui eam intuerentur, aut Deum ipsum de cœlo descendisse, aut in cœlum ascendisse artificem conclamarent (6). Pla-

(1) Plutarch. in Vitâ Periclis, p. 169.

(2) Philochorus, in Schol. ad Aristoph. Pacem, v. 604-5 : Λέγουσι δέ τινες ὡς Φειδίου τοῦ ἀγαλματοποιοῦ δόξαντος παραλογίζεσθαι τὴν πόλιν . . . κ. τ. λ.

(3) Plutarch. I. l.; vid. inf. § 1, p. 9.

(4) Aristoph. Pax, v. 604-605 :

. . . εἰ βούλεσθ' ἀκοῦσαι τήνδ' ὅπως ἀπώλετο (εἰρήνη).

Πρῶτα μὲν γὰρ ἤρξεν ἀτῆς Φειδίας πρᾶξας κακῶς.

(5) Philoch. in Scholiis ad Aristophanis Pacem, I. l. : . . . ἔκριθη· καὶ φυγὸν εἰς Ἱθαλιν ἐργολαβῆσαι τὸ ἀγαλμα τοῦ Διὸς τοῦ ἐν Ὁλυμπίᾳ λέγεται. . . Ibid. ἔζημιώθη φυγῇ. — Edit. Didot, p. 190-191. — Cf. Quat. de Quincy, Jupiter Olymp., p. 221 sqq. — Biog. univ., art. Phidias.

(6) Philipp. Thessalonic., Analect. Brunck, vol. II, p. 225 :

Ἡ θεὸς ἥλος ἐπὶ γῆν ἐξ οὐρανοῦ εἰκόνα δεῖξων,

Φειδία, οὐ σὺ γ' ἔθης τὸν θεὸν ὀψόμενος.

toni igitur, ubi eâ fuit ætate quâ res attentis aspicere incipimus oculis, primùm in Minervæ vultu, deindè in Jovis ore (quod si quis diem ante supremam non invisere potuisset, miserrimus habebatur), impressa divini numinis majestas et pulchritudo obviam quodam modo sese obtulit. Quapropter intuenti mihi quibus sit natus et adoleverit temporibus philosophus ille, quod ad summæ pulchritudinis studium et scientiam attinet, hunc à Phidiâ non secus ac cæteros Græcos, educatum et eruditum fuisse, salva Socratis magistri laude, haud dubium visum est. Quod autem, cur pro certo teneam in plano ponere conabor.

§ I.

Quas præcipuè imagines effinxerit Phidias.

Ut Hippiam omittamus de quo apud solum Dionem Chrysostomum et semel tantum mentio fit (1), magistrum habuit Phidias Ageladam aut Geladam Argivum (2), celeberrimum artificem, cuius Polycletum et Myronem, Phidiæ æquales, teste Pli-

(1) Orat. LV, De Homero et Socrate, p. 558 : « Ωσπερ Φειδίας μὲν ὁ ἀγαλματοποὺς Ἰππίου — (μαθητής). »

(2) Otf. Mulleri, de Phidiæ Vitâ Commentatio prima, p. 11-14. — Schol. Aristoph. in Ranas, 501.

nio (1), fuisse discipulos accepimus. Ageladam autem illum, quamvis Messeniis Jovem Ithomatum (2), et in pago Athenarum Melitensi Herculem Sospitatorem posuerit (3), tamen in athletis representandis saepius incubantem reperimus, quippe qui, verbi gratiâ, Timasitheum Delphiū (4), Cleosthenem Epidamnum (5) et Anochum Tarentinum (6) in Olympicis ludis victores fecerit; ita ut Phidiam adolescentem et apud Ageladam in arte statuaria sese exercentem primūm athletarum species effinxisse veri simile sit. Quod ipsi minime nocuit; inde etenim hanc magnam corporis humani, hanc venarum et muscularum, veritatis scilicet et vitæ scientiam quā non minus quam æquales nobilitatus est, sine dubio retinuit.

Non is tamen erat Phidas qui ad veri similitudinem dextram semper dirigeret, et suum impenderet ingenium. Qui, eā de re si Pausaniæ quanquam nutanti et sibimet dissentienti fidem adhibeamus (7), quatuor tantum viventium viro-

(1) *Natur. Histor.*, XXXIV, 8.

(2) *Pausanias*, IV, 33, 2.

(3) *Schol. Aristoph.* in *Ranas*, l. l. — *O. Muller*. l. l. p. 13.

(4) *Pausanias*, VI, 8, 6.

(5) *Ibid.*, VI, 10, 2.

(6) *Ibid.*, VI, 14, 5.

(7) Miltiadis simulacrum fecisse Phidiam dum affirmat

rum sculpsit imagines ; Miltiadis Delphis, Periclis et suam ipsius Athenis in Minervæ clypeo (1), et Pantarcis, juvenis dilectissimi, qui in puerorum ludo palmam retulerat, in solii Jovis Olympii anteriore parte inter sigilla positam (2). Quorum animadvertere est Pantarcem solum athletam, cæteros autem , Miltiadem dico et Olympium (3) cognomine Periclem, jam verò et Phidiam ipsum , viros optimos et tanti artificis operâ maxime dignos fuisse. Ad hæc quoque accedit quod istæ veræ imagines, excepto Miltiadis signo, in parergis sigillatis tum Minervæ, tum Jovis Olympii locum nec primarium habuerint. At si quis mihi objiciat non deos sed homines fuisse hos tribuum Athenien-

Pausanias, l. X, 10, 1, negat l. VI, 4, 5, illum ullius hominis nisi Pantarcis imaginem sculpsisse.

(1) Aristot. De mundo, p. 863 : Φασὶ δὲ τὸν ἀγαλματοποιὸν Φειδίαν κατασκευαζόμενον τὴν ἐν ἀκροπόλει Ἀθηνῶν ἐν μέσῃ τῇ ταύτης ἀσπίδι τὸ ἔχυτον πρόσωπον ἐντυπώσασθαι... x. t. λ.—Cic. Tusc., lib. I, c. 15 : « Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Minervæ, quum inscribere non liceret. » — Plutarch. in Vitâ Pericl., p. 169 : Ἐν τῇ ἀσπίδι... αὐτοῦ τινα μορφὴν ἐνετύπωσε, πρεσβύτου φαλακροῦ, πέτρον ἐπηρμένου δι' ἀμφοτέρων τῶν γειρῶν, καὶ τοῦ Περικλέους εἰκόνα παγκάλην ἐνέθηκε, μαχομένου πρὸς Ἀμαζόνα. — Dio Chrysost. Orat. 12, initio : Περικλέα δὲ καὶ αὐτὸν λαθὼν ἐποίησεν.

(2) Pausan. V, 11, 3.

(3) Plutarch. in Periclis Vitâ, p. 156. — Ibid., 173.

sium Eponymos quos Delphis una cùm Minervâ, Apolline et Miltiade videre erat (1), illos heroas jam dudum defunctos, multo magis quam mortales et de stirpe deorum habitos fuisse respondere licebit.

Constat igitur homines raro, rarius athletas à Phidiâ nostro fuisse exsculptos. Ad deos autem primis ab annis totum se contulit et in eis effingendis longum vitæ suæ spatium consumpsit. Quorum autem quis fuerit numerus, non multum ad rem interest. Magnum fuisse cognoscere satis est, ex quo sane venit illa Quintiliani sententia : « Phidiam diis quam hominibus efficiendis melio- « rem artificem creditum esse (2). » At quorum in primis deorum simulacra Græcia Phidia debuerit, plurimum nostra refert, namque in deorum signis multò magis quam in hominum imaginibus inventari potest eximia illa, et, ut ita dicam, Platonica pulchritudo de quâ nunc agimus. Quum ergo scriptores interrogamus, octo vel novem Minervæ (3), quorum maxima pleraque, et tria Jovis signa posuisse Phidiam videmus (4).

Quod ad Minervas attinet, celeberrimæ nobis notandæ sunt :

- (1) Pausan. X, 10, 1.
- (2) Quintil. Inst. Orat. XII, 10.
- (3) Otf. Müll. I. l., p. 18.
- (4) Pausan. passim.

1º Antiquissimum, teste Pausanià, ex omnibus Phidiae operibus signum, Pellenensis Minerva, ex ebore et auro, quam elaboraverat antequam ab Atheniensibus Πρόμαχον et a Plateensibus Aream faciendas accepisset (1).

2º Minerva Πρόμαχος, aeneum colossum, quod in arce Athenienses, de prædâ Marathoniâ dedicaverant (2).

3º Minerva Area, in Minervæ fano apud Plataenses posita, cuius os, manus et pedes è pentelico lapide, corpus e ligno et inauratum. Hanc valde antiquam habet Mullerus, utpote quæ è prædâ Marathoniâ, proximis post eam pugnam annis confecta fuerit (3).

4º In Arce Eleorum vidit Pausanias Minervæ signum auro et ebore fabricatum, Phidiae opus, cuius in casside insistebat gallus gallinaceus, quam Minervam Erganam esse cognomento ex illa ave conjicit (4).

5º Ad hæc Palladis Phidiaca simulacra addendum Minervæ Lemniæ, quod à Lemniis dedicatum erat signum, tam eximiæ pulchritudinis, ut inde

(1) Pausan., VII, 27, 2.

(2) Ibid., IX, 4, 1. Plinius, Nat. Hist., XXXIV, 8.

(3) Pausan., IX, 4, 1.

(4) Ibid., VI, 26, 3.

illi Callistæ cognomen venerit (1), et illam omnibus Phidiæ operibus anteponendam declarare Lucianus non dubitet (2).

6º Sed, ut cæteras taceam aut minus aut minime notas, hanc tandem Parthenonis Minervam memorabo quam ultimam absolvit Phidias (3) et quæ tūm materiæ pretio, tum opere materiam adæquante, immensam et apud veteres, et apud recentiores famam obtinuit (4).

Bis Jovis colosseam effigiem effinxit Phidias : primam Megarensibus, cuius quidem fabricator fuit Megarensis Theocosmus, sed adjuvante Phidia magistro, quod facile credam quum Pausanias Dei os ex auro et ebore ad artis toreuticæ normas factum affirmet (5) ; alteram autem apud Eleos, in luco Altì dicto, Jovis Olympii « quem nemo æmulabatur (6) » et de quo inferius multa quæ dicam habebo.

Sed jam è paucis anteà dictis Phidiam præser-

(1) Plinii Nat. Hist., XXXIV, 8.

(2) Lucian. Imagines, 4. Ed. Reitzii. Amst., 1743, p. 462.

Τῶν δὲ Φειδίου ἔργων τί μάλιστα ἐπήνεσας; Pol. τί δ' ἄλλο ἢ τὴν Αημυνίαν...; κ. τ. λ.

(3) Euseb. Chronic., p. 340. Vid. suprà, p. 6.

(4) Pausan. I, 24. — Plutarch. in Pericl. Vitâ, 159.

(5) Pausan. I, 1, 40, 4.

(6) Plin. Hist. Nat., XXXIV, 8.

tim Deos, et ex illis Jovem et Minervam, maximos scilicet et potentissimos, sculpsisse satis appareat. Et ad id quod demonstrare cupimus, Venus illa cœlestis quæ Phidiæ tribuitur, argumentum quoque suppeditabit (1).

## § II.

### De Communi et variâ Græcorum Minervâ.

Omnes ferè Græciæ populi communes habuêre Deos. Attamen communi Deo quisque privatam trubebat indolem et suum quodam modo faciebat, ita ut in unoquoque Deorum tot sint et appareant numina quot in Græcia variæ fuêre gentes. Quod de Minervâ non minus quam de cæteris Diis verum est. Nunc autem quærentes an Phidias qui celeberrimam inter omnes Minervam fecit, ipsum per se pulchrum attigerit, discernere necesse est utrùm communem an privatam Deam sculpserit, et quibus illam dotibus tum animi tum corporis ornatam in Hecatompedo posuerit.

In plerisque veterum fabulis castam, virginem, virginitatisque præsidem Minervam invenimus. Ferunt Libycam Minervam, Neptuno et Tritonis lacus nymphâ natam ad Jovem confugisse ut patris

(1) Pausan. I, 14, 7. — VI, 35, 1.

sui lascivam vitaret insectationem (1). Cujus severum et triste numen *Ægyptiæ* puellæ fletibus et gemitibus celebrabant (2), et in Deæ honorem armis certabant, ut, virili more luctando, virginitatis suæ certum darent argumentum (3). Fuit et altera Minerva, Pallantis filia, quæ patrem sibi vim inferre conantem interemis (4).

Apud Græcos Neptuni incesta cupidine ardentes et libidinosi Pallantis vices implet Hephaestus sive Vulcanus. Cui, Cœli filio, nonnulli nuptam antiqui historici voluere Minervam, et ex his natum Apollinem Athenarum custodem (5). Sed his Plato contradicit, à quo narratur quum inter Deos terrarum et populorum fieret partitio, Minervam et Vulcanum, quod eodem patre orti et simili præditi naturâ, eodem artium et doctrinæ studio unum et eumdem persequerentur finem, Atticam regionem suæ eorum et virtuti et prudentiae admodum aptam et congruentem sorte obtinuisse (6). Sunt alii qui Minervam Vulcano nuptam fuisse pro certo

(1) Herodot., IV, 180.

(2) Ibid., 189. — Hom., VI, v. 301. Creuzer, Relig. ant., trad. Guign., p. 708.

(3) Herod., IV, 180.

(4) Cicer., de Naturâ Deorum, III, c. 23.

(5) Ibid., c. 22.

(6) Plato, Critias, p. 109, 112.

teneant, negent autem eam cum fratre verè conjunctam, utpote quæ thalamum reliquerit et ad patrem Jovem salvâ confugerit virginitate. Sunt deinde, qui memorent Vulcani in Lemniis fornaciibus Minervam insectantis et jam victam tenentis, vanos fuisse congressus, tumque ex illo terraque natum turpi claudicatione deformem Erichthonium (1). Sic in plerisque Ægyptiis et Atticis et Bœoticis fabulis virgo Minerva evadit. Quòd si in Tullii libro de Natura Deorum cum Vulcano coniungitur, hunc Vulcanum, Cœli filium, id est cœlestem, purum, et Apollinis, diei et luminis Dei patrem, et, ut nonnulli referunt (2), de Junone sine patre genitum esse animadvertendum est, neque in eo connubio quidquam esse quod præstantissimam Deæ nostræ naturam corruerit.

Ad hæc accedit quòd Minerva matrimonio et viris, terræ scilicet elementisque inferioribus, ut doctissimis placet interpretibus, adversa (3), non de feminae utero sed de Jovis ipsius percussa et aperta

(1) Hom., Iliad. II, v. 546 : τάκε δὲ ζετῶρος ἄρουρα. — Pausan., I, 14. Meursius, de Regno attico, II, c. 1. — Biogr. Univers., t. 55, art. Minerve.

(2) Apollodor. Biblioth., lib. I, c. 3.

(3) Creuzer, Relig. ant., trad. franç., t. II, p. 716. — Otf. Müller, Man. arch., t. II, § 377.

Vulcani securi fronte nascitur (1). Quod in Hesiodi Theogonia relatum nobis antiquissimae fidei videri debet. Sic bis, ut ita dicam, et per semetipsam et Jove patre αὐτοτόκῳ apud Græcos et præsertim apud Athenienses Minerva virgo habebatur.

Non hanc virginem solum, sed fortē etiam et belli principem necnon inventricem colebant omnes (2). Et jam eam, ut castitatem defenderet, in Libyā Neptunum et Pallantem, in Atticā Vulcanum fortiter repulisse et viciſſe scimus. Certantes cum Gigantibus Deos adjuverat Minerva, et in Enceladum bigas immiserat, ex quo Hippiae et Aleæ ei nomen venit (3). Ab Homero fortis filia, ὀδρυμοπάτηῃ appellatur (4). Apud eumdem poetam de victo Marti Pallas Athene galeam, clypeum et cuspidem eripit, eumque graviter increpat (5). Sed

(1) Hom. Hymn. XXVIII, v. 4-5 :

Τριτογενῆ, τὴν αὐτὸς ἐγείνατο μητίστα Ζεὺς  
σεμνῆς ἐκ κεφαλῆς, . . . . etc.—Hesiod. Theogon., v. 924.

— Eurip. Phœn., v. 670.—Apollodor., lib. I, c. 3.—Meursius, de Regno attico, lib. I, c. 4.

(2) Cicer. de Natur. Deor., III, 21.

(3) Pausan., VIII, 47, 1.

(4) Iliad. V, v. 747.

(5) Iliad. XV, v. 125:

Τοῦ δ' ἀπὸ μὲν κεφαλῆς κόρυθ' εἶλετο καὶ σάκος ὤμων,

nullo in alio loco armis et virtute potentior inventari dea nostra potest quam in illo cum Marte homericō certamine quo ferum, nec sibi satis imperantem Deum percutit et sternit, et auxiliantem deinde Marti Venerem hastā quoque vulnerat (1). Alalcomeniam vocat Homerus Minervam : cui nomini duplē assignat originē Pausanias; hoc enim dicit ex eo ductum quod Dea ab Alalcomenio quodam in Bœtiā, homine indigenā, nutrita fuerit, aut quod filiam Alalcomeniam nomine habuerit Ogyges (2). At si cum Creuzerio ad vocis illius radices descendamus, nobis in aperto erit Alalcomeniam nihil esse nisi Dea quae in pugnando perseverat, ἐν ἀλκῇ μένει (3). In plerisque Minervæ quae supersunt imaginibus, galeata et hastam dextrā tenens, tanquam ad bellum parata semper stat. Denique ea est illius et vis et potestas ut hanc Deam Jovis ipsius vim esse dixerint, quocumque modo hoc verbum intelligere velis (4).

Cum virginitate et potentia, mentem habet Pallas Athena. Imo, mens ipsa est, mens Jovis ipsius

ἔγχος δ' ἔστησε σπιθαρῆς ἀπὸ χειρὸς ἐλοῦσα  
χάλκεον· ή δ' ἐπέεσσι καθάπτετο θυηρὸν Ἀρηα.

(1) Iliad., V, v. 908.—XXI, v. 391. — 430.

(2) Pausan., IX, 33-4.

(3) Creuzer, Rel. Antiq., t. II, p. 749.

(4) Ibid., ibid., 724.

qui sine conjuge de cervice eam peperit postquam Mῆτιν, id est prudentiam et sapientiam, comedisset (1). Ea autem usque eò in animis sententia defixa erat ut in Cratylō Athenæ nomen à Θεῷ νόη ducat et Minervam Theonoam, sive Dei mentem et intelligentiam esse affirmare Plato non dubitet (2). Nec aliter dicit Chrysippus eamdem verbum esse rationi consentaneum quod ex ore Jovis defluit (3); quum enim, ait ille, ore Metim devoravisset Jupiter, Minervam matris similem, prudentiam scilicet et rationem, non è vertice, sed ex ore in lucem edere debuerat. Pronœa quoque dicebatur Delphīs, ubi Minervæ Pronœæ templum erat (4). Divinâ autem mentis vi omnes invenerat artes et eas homines docuerat. Nil mirum igitur, si solerteriae et sapientiae omne genus quocumque sit illi fuerit tributum, nec si eam, labori quoniam præferat, Erganam ab ἔργῳ vocaverint (5).

Quem autem ad finem mente, intelligentiâ et robore uteretur Minerva, explicare minime difficile

(1) Hesiod. Theog., v. 886 sqq.

(2) Plat. Cratyl., ed. Henr. Steph., p. 407.

(3) Chrysipp. apud Galenum de Hippocr. et Platonis placit., III, 8. Venetiis, 1576, p. 247.— Creuz., Rel. Antiq., t. II, p. 783.

(4) Herodot., I, 92. — VIII, 37-39. Creuz., l. l. 801.

(5) Pausan., VI, 26, 3.

est. Ut homines doctos, solerteres, sapientesque, ut  
eos laboris, disciplinæ et omnis hujusce qui a legi-  
bus pendet ordinis amantes faceret, diligentissimè  
dabat operam. Benesuada ob eam rem habebatur,  
quod satis significat græca vos πολύθεουλος, quæ in  
Iliade legitur :

« Αἴ κέν μοι πολύθεουλος Ἀθήνη κῦδος δρεῖξῃ. »

Eaque erat filiae Jovis sapientia, ut eam ipse  
vereretur, et quum cæteri omnes Dii quos vehe-  
menter reprehenderat et quibus minas intonabat ter-  
riti silerent, loqui Minerva non dubitaverit, filiam-  
que mansuetus et mitis exaudierit hominum pater  
atque Deorum rex (2). Sed benivolens non minus  
quam mente potens, totam ad hominum commoda  
et felicitatem prudentiam suam convertebat. Qua  
fuerit erga Athenienses caritate, bonitate et bene-  
ficientiâ è Platone discere licet. Narrat ille in Timæo  
Minervam, ut erat belli amans et sapientiae, Atti-  
cam terram elegisse quòd ad creandos viros ipsi  
Deæ maximè similes admodum apta videretur (3).  
Et in Critiâ, Vulcanus et Minerva eodem impulsi  
studio, Athenienses bonos efficere conantur, ἀγαθοὺς  
ἐμποιήσαντες, et eos ad vitæ civilis rationes infor-  
mare, ἐπὶ νοῦν ἔθεσαν τὴν τῆς πολιτείας τάξιν (4).

(1) Iliad., V, v. 260. — Ibid., XVI, v. 282.

(2) Ibid., VIII, 25-38.

(3) Platonis Timæus. Ed. Steph., p. 24.

(4) Platon. Critias, p. 109.

Nihil ergo Minervae magis placebat quam suam ipsius indolem, virtutem scilicet, sapientiam et intelligentiam, cum gente dilecta communicare. In quâ re ipsius numinis maximi apparet caritas et beneficentia. Quid enim melius, quid benignius, aut quid materno amori et bonitati similius quam quod optimum et pretiosissimum est, intelligentiam dico, vimque et virtutem hominibus infundere?

Cætera omnia quæ Minervæ tribuebantur horum quæ jam memoravi nihil nisi variæ species et quasi genera sunt. Nonne etenim in Deo quidquid boni inest è mente, potentia et bonitate tanquam è triplici fonte defluit? Sed ille quem nunc sequimur divinam naturam concipiendi modus simplex est prorsus et philosophicus, nec ea, primis temporibus, ad Dei notionem via duxit investigantes. Tum spe aut timore, semper utilitatis studio, uno verbo superstitione magis quam ratione ducti, Deum non qualis est, sed qualem esse cuperent aut reformidarent, sibi populi excogitare et effingere solebant. Quapropter hanc numinis vim aut potestatem sive cogitandi, sive creandi, sive mundum et urbes gubernandi divinam faciebant quam sibi favere et auxiliari volebant (1). Inde multæ

(1) Cic., de Nat. Deorum, 2, 23. « Utilitatem igitur magnitudine constituti sunt ii Dii qui utilitates quasque gignebant. »

uniuscujusque Dei ortæ sunt formæ et species quibus posita sunt simulacra, templaque ædificata. Non alio nata est modo multiplex illa Minerva cui permulta nomina adscripta in veterum libris legimus. Horum nonnulla hic numerare non mihi supervacaneum videtur, quò melius varias et privatas Minervas ab illâ quam sculpsit Phidias Minervâ discernere possimus.

Athenis non solum, ut jam vidimus, Promachus, sed Polias etiam colebatur Minerva (1). Erat in arce Hygiæ, sive Medicæ, æneum Minervæ signum, Phidiaë opus à Pericle positum, quod ex alto delapsum et ægrotantem Mnesiclem, qui Propylæa exstruebat, præscripto remedio Dea sanavisset (2). Erganam quoque Athenienses habebant (3), nec non eam quam Cleiduchum vocat Plinius, Phidiaë opus et quam clavium, id est aedium et templorum, custodem fuisse conjicere non nimis temere possumus (4). In multis Bœotiae urbibus erant templa Itoniæ Minervæ, quo verbo eam altricem fuisse significatum asserit Creuzerius (5). Similis

(1) Creuzer. Rel. Ant., t. II, p. 759.

(2) Plutarch., Pericles, Henr. Stephan., p. 160, C.— Cf. Creuzer, trad. franç., planch. XCH, 352.

(3) Pausan., I, 24, 3.

(4) Plin., Hist. nat., XXXIV, 8.

(5) Pausan. III, 9, 13. — Creuz. I, I, p. 756.

ejus apud Thessalos, Pheras inter et Larissam fuit cultus (1). Aleam ante omnes Peloponnesii, iidemque Tegeæ Hippiam (2), Trœzene Stheniadem (3) invocabant. Atqui usque eò creverat Deos multiplices faciendi consuetudo, ut non tantum ex indeole Minervæ, et vita, et beneficiis ducta, sed adventitia quoque aut divinitati minus congruentia nomina imponerentur. Sic illam Argis Salpyngem, latinè Tubam, dicebant quod Hegelaus, a quo Deæ templum exstructum fuerat, Tyrteni filius esset quem tubæ primum tradebant inventorem (4). Sic apud Trezenios Apaturiæ nomine cultam invenimus Minervam quod in Hieram insulam quæ Trœzeniorum erat, quum monitu Deæ Aethra inferias missura venisset, à Neptuno, quod minime sperrabat, ibi adamata est (5). Denique, ne nimis in ea cognominum hæream enumeratione, Chalcioecam Lacedæmoniorum Minervam cuius ex ære aedes fuerat aëdificata, his quæ jam memoravi ad didisse satis erit (6).

Ex his excellentissimam et divinam admodum Minervæ nostræ naturam à Graeciæ gentibus, ut

(1) Pausan. I, 13, 3.

(2) Ib., III, 5, 6.

(3) Ibid., VIII. — Creuz. l. l., p. 789, 792.

(4) Pausan. II, 21, 3.

(5) Ibid., II, 33, 1.

(6) Ibid., X, 5, 11.

cuique placuit, divisam et minorem factam concludi potest. Sed si quis omnes illius maximas et optimas dotes in unum collegerit, earumque junctione et connexu creatum numen in pulcherrimo vultu et corpore expresserit, nonne illum τὸ αὐτὸν καλὸν cognovisse et hominum oculis ostendisse jure ac meritò dixeris?

§ III.

Quæ fuerit Phidia Minerva.

Eum autem fuisse Phidiam ostendamus nos oportet.

In hoc primo hujus artificis magnum declaratur ingenium quod Minervæ, præstantissimæ Deæ, tot sculpserit imagines. Attamen, si ante absolutam illam Parthenonis Minervam, ex auro et ebore confectam, et in templo suo positam interiisset, eum nec tantam gloriam adepturum fuisse, nec inter omnes statuarum fabricatores primas tenuisse pro certo quisque habere potest. Ex omnibus enim ejus operibus, excepto solo Olympio Jove, maximam et apud æquales et apud posteros Ήρῷον Minerva famam obtinuit. In eo igitur signo inesse et enitere debet, in eo igitur quærenda est illa pulchritudinis eximia species cuius ad similitudinem, ut ait Tullius, quum Minervæ formam faceret, artem et manum dirigebat Phidias.

Quanquam de cæteris illius Minervis frequens satis in veteribus mentio fit , etsi magnitudine Promachus , et Plataënsium Aræa , etiamsi formosissimo corpore Lemnia hanc usque diem insignes remanserunt, hoc tamen in illis, me judice, reprehendendum est, quòd non totam indolem et naturam, et, ut ita dicam, non totam illis Deæ animam infuderit artifex. Quas enim et quâ indole præditas eas esse legimus? De Pellenensi Minervâ, quam non describit Pausanias , nihil quod dicam habeo. In Promacho et Area vim bellatricem tantum expressam è nomine liquet. Quod ad Lemniam attinet, si mentis illa sapientiaeque fuisset imago, non in ejus sola pulchritudine hæsisset scriptorum admiratio qui Callistam tantummodo eam appellant (1). Pacifici tum mulierum, tum opificum laboris , sed nec belli , nec sapientiae princeps Ergana in Arce Eleorum dedicata, quâ Deam Dearum, δῖας Θεάων , ut canit Homerus (2), oculis obtulerit ? De Cleiducho tacet Pausanias, et illius nomen tantum inscribit Plinius (3). Quocirca in omnibus quæ , antequam nasceretur Parthenonis colossum,

(1) Lucian. *Imagines*, 4; vide suprà, § 1.—Pausan., I, 28, 2 : Θέας μάλιστα δῖον.—Pline, XXXIV, 8.—Ot. Mull. Manu-arch., § 117.

(2) *Iliad.*, VI, v. 305.

(3) Plin., *Nat. Hist.* XXXIV, 8.

sculptæ sunt à Phidiâ Minervis, pars aliqua, et magna quidem, numinis illius desiderabatur; ita ut, licet laudanda, non tamen absoluta in iis pulchritudo splenderet.

Hecatompedi autem statuam, etiamsi accuratè à Pausaniâ descriptam nobis invidissent sæcula, prorsus Deâ dignam fuisse minime dubitaremus. Quum enim eam excogitavit, jam maturus ævo, jam in arte suâ peritissimus erat Phidias. Nec illi, si tanto muneri impar fuisset, hoc commisisset Pericles, eo præsertim tempore quo ad id devenerant Atheniensium animi ut nihil imperfectum, nihil exiguum, nec videre nec audire vellent. Quin, quum è marmore pentelico Deæ os, manus et pedes, ne nimia foret impensa, facienda censeret Phidias, eum tacere jussérunt Athenienses (1). Tantus erat iis tum dilectæ Deæ, tum pulchritudinis amor!

Pulchram igitur fuisse constat Hecatompedi Minervam; sed quâ pulchritudine, adjuvante Pausaniâ querendum, et in quam clarissima potuerimus luce ponendum. Minervam ille his verbis describit (2)? « In galeæ vertice sphinx eminet. Utrum-

(1) Valer. Maxim., I, c. 1. « Idem (scil. Athenienses) Phidiam tulerunt quamdiù is marmore potius quam ebore Minervam fieri debere dicebat, quod diutiùs nitor esset mansurus; sed ut adjecit, et vilius, tacere jussérunt. »

(2) Paus. I, 24, 5.

que galeæ latus grypes occupant. » — Et primum his signis, sphinge et grypibus, Deæ scientia et intelligentia declaratur. Sphinx enim divinationem aut abscondita noscendi vim; grypes solem, id est mentis lucem aut scientiam indicant (1). Hoc Pausaniae descriptioni addendum, quod Aspasii cælatoris gemma et Atticum tetradrachmum demonstrant, in galeæ fronte equos octo tanquam è cerebro Deæ erumpentes Phidiam infixisse, quibus sine dubio rapidam et volucrem divini numinis cogitationem exprimere voluerat (2).

Sic, quùm metallo clausa frons ingentem Minervæ mentem non satis spectantium oculis ostenderet, artis suæ miraculo galeam ipsam Phidias, ut ita dicam, cogitantem effecit !

Intelligentiâ ergo et mente divinâ præditam fecerat Phidias Minervam.

Ad Pausaniam revertamur (3). « Rectum stat,  
« pergit ille, Minervæ signum, cum tunicâ talari.  
« Cujus in pectore eburneum est Medusæ caput.  
« Est quoque Victoria cubitorum fere quatuor : jacet

(1) Creuz., Rel. ant., t. II, p. 727.—E. David, Jupiter, Recherches sur ce dieu, sur son culte et sur les monuments qui le représentent, t. II, p. 573. Paris, 1833.

(2) Vid. Quat. de Quincy, Jupiter Olymp., Planch. VIII et IX. — Visconti. Mus. Pio-Clement., t. IV, tab. vi.

(3) L. l.

« ad pedes scutum et ad imam hastam draco (1). »  
His omnibus parergis quid aliud quām Deæ nostræ  
belli amor, quām pugnandi et quidquid homini-  
bus malum inferre posset vincendi vis significatur?

Sed castam et intemeratam quoque virginem  
hoc in celeberrimo signo videri voluerat Phidas.  
Ejus virginitatis indicem dicit Plutarchus (2) dra-  
conem esse qui, teste Pausaniâ, ad imam erat  
Palladis hastam. Draconem autem istum conjicit  
Pausanias Erichthonium simulavisse (3), qui Deæ  
pudicitiae testimonium profecto esse poterat; nam  
è terrâ natum tradebant fabulæ atticæ Erichthon-  
ium quum ardens amore Vulcanus Minervam  
vincere nequivisset (4). Tertium autem eâ de re  
signum et indicium habemus certamen in intume-  
scente clypei ambitu cælatum Amazonum (5) quæ,  
sicut ipsa Minerva, belli amantes et virgines si-  
mul erant.

Igitur Dei vim intelligendi quâ omnia scit et no-

(1) Paus., I, 24, 7.

(2) De Iside et Osiride, Stephan., p. 379, D.

(3) L. l. Cf. Visc., Mus. Pio-Clem., t. IV, p. 51, tabul. vi.

(4) Hom. Iliad., II, v. 546 :

“Ον ποτ’ Ἀθήνη

« Θρέψε, Διὸς θυγάτηρ (τέκε δὲ ζείδωρας ἀρουρα).

Censorinus, c. IV. — Meursius, de Regno Att., II, 1.

(5) Plin. Nat. Hist., XXXVI, 5. — Paus., X, 34, 8.

vit, et vim agendi, bonum scilicet faciendi et malum vincendi, hæc, quibus profecto perfectus Deus est, Minervæ suæ dederat Phidias. Et quum nihil sit divinum minus, quum nihil minus perfectum, quum nihil minus puram aeterni numinis naturam deceat, quam, ut ait Tullius, « effusæ in omni in-  
« temperantia libidines, adulteria, vincula, cum  
« humano genere concubitus, mortalesque ex  
« immortalibus procreatos (1), » quum nihil sit absurdius quam hominum amoribus ardere Deum, quamvis in nonnullis vel Atticæ fabulis Vulcano nupta haberetur Minerva, his assentiens qui eam virginem volebant, Παρθένον effecit Deam Phidias, unde suum templo nomen est nuncupatum.

At hujus numinis naturæ quam excogitavit Phidias si attentius studeas, hoc tibi laude maxime dignum videbitur quod Hecatompedi Deæ ea tantum tribuerit summus artifex noster è quibus cætera omnia oriuntur; minores autem et inferiores, ut ita dicam, Athenæ indolis partes nullo modo expresserit. Ita ut non privatam Atheniensium, nec propriam, nec indigenam, nec hanc aut illam, sed Minervam sculpserit quæ omnes omnium Græcorum Minervas complecteretur. Non enim illi Eriganæ neque gallum gallinaceum (2), neque fu-

(1) Cic., de Naturâ Deor., I, 16.

(2) V. suprà. p. 11.

sum (1), neque colum (2), neque lucernam (3); non Hygiæ aut Musicæ quem in bellum itura solebat deponere peplum (4) adjunxerat. Satis erat illi mentem et intelligentiam ex quâ nascitur omne scientiæ genus; satis erat vim agendi tribuisse quæ cum intelligentiâ conjuncta omnes invenit et erudit artes; namque ita verè  $\alpha\alpha\theta'$  ολού Minervam Atheniensibus colendam tradiderat Phidias.

Sed ejus postquam tantam tamque divinam animam concepisset, pulcherrimo hanc fecit corpore. Quanquam enim de vultu ejus, formâque et aspectu silent plerique, quis formosissimam dicere dubitet? Nonne summâ sunt pulchritudine numerorum effigies quas ad ejus imaginem factas esse constat (5)? Et qui Phidias ille qui Lemniam Callistam sculpserat, dilectam Atheniensium Athenam à Lemniorum virgine formâ et venustate exsuperari voluisset?

(1) Ot. Müller, *Man. archæol.*, § 374.

(2) Pausan., VII, 5, 9.

(3) Ot. Müller, loc. laud.

(4) Hom., *Iliad.*, V, v. 736.—Viscont. Museo. Pio-Clem., t. III, p. 159-160, tabul. XXXVII. Milano, 1819. « *In tali monumenti, ove Pallade si mostra paludata, non è in atto di guerra.* »

(5) Quat. de Quincy, *Jupiter Olymp.*, pl. IX.—Ot. Müll. *Man. arch.*, §§ 115-375.

Ad hæc adjicias quod ea fuit admirabilis singularisque Palladis Athenæ natura, ut qui eam ad veritatem excogitaverit, hanc pulchrâ non solùm sed pulcherrimâ formâ debuerit facere. Nonne enim et virgo, et belli amans; nonne sexu femina, virtute autem vir; nonne mollitie quâdam et maternâ benignitate mulieribus, fortitudine autem et in armis potentia viris similis fuit? Nonne igitur, miro concentu, cum gratiâ vim conjunctam et mixtam, quæ suprema pulchri causa, lex et ratio nuncupatur, habuit? Omne ergo tulit punctum Phidias cuius in Minervæ corpore et vultu virginæ gratiæ et roboris invicti summum effulserit decus.

Hunc ex his quæ supra dicta sunt concludere nos res ipsa cogit Phidiam quùm Parthenonis Minervam excogitaret et effingeret: 1º neglectis differentiis, hæc tantum elegisse et quodam modo delibasse quæ omnibus inessent Minervis et ita non privatam, nec indigenam, non denique  $\alpha\alpha\theta'$   $\varepsilon\kappa\alpha\sigma\tau\omega$ , sed  $\alpha\alpha\theta'$   $\delta\lambda\omega$  Minervam creavisse; 2º deæ suæ optimum perfectissimumque tum intelligentiâ, tum agendi et pugnandi vi, tum naturâ à cupidinibus terrestrique amore vacuâ, animum tribuisse; 3º hunc demum pulcherrimum animum puicherrimo corpori, gratiam cum robore junctam habenti, artis suæ miraculo infudisse. Ex quo efficitur ut

jure ac meritò animi pulchritudinem supra quam nihil excogitari potest, id est *αὐτὸν καθ' αὐτὸν καλὸν*, in Phidiæ Minervæ vultu divino cum splendore effusisse dicam.

#### § IV.

##### De Græcorum communi necnon vario Jove.

Ad Olympium Jovem nunc veniamus. Sed prius quām de hoc simulacro disseramus, quis fuerit communis, et quis varius Græcorum Jupiter summatim dicendum.

Tres numeravisse Joves theologos apud Tullium legimus; è quibus primum et secundum natos in Arcadiâ, alterum patre Æthere, alterum patre Cœlo; tertium Cretensem, Saturni filium (1). His adjiciendus Jupiter ille quem Dodonæum et Pelasgicum vocat Homerus (2). Hi omnes haud multū ab elementis in principio differebant. In Arcadiâ natos alterum æther, alterum cœlum, id est altissima et ignea natura quæ terram involvit circumfusa, generat. In Arcadiâ Jupiter Lycaeus vocabatur: at lupum apud Ægyptios lucis aut ignis signum fuisse censem interpretes (3). Quod ad Dodonæum

(1) Cicer., de Nat. Deorum, III, 21.

(2) Iliad., XVI, v. 233.

(3) Creuz., Rel. ant., trad. franc., t. II, p. 532.

Jovem attinet, hunc Phegoneum appellantes colebant, quod à φηγῷ aut φηγῷ arbore et verbo φηγεῖν, nomen dicit originem, eique in arboribus sedem assignabant quorum susurrum Dei vocem esse putabant (1). Cretensem denique Jovem Croni sive temporis, et Rheæ, quæ fluens aut humidum elementum est, filium tenebant et ab ipsa natura vix discernebant. Quam poetæ quoque secuti sunt rationem, quibus tum aér, tum cælum aut dies esse Jupiter visus est (2).

Sed jam in antiquissimis carminibus iis, quæ præcipuè sunt, animi dotibus præditum Jovem reperire est. Primus et ultimus, Caput, Metisque, id est prudentia, vocatur ab illis. Eum vim omnia quæ gignit et spiritum aut vitam, amorem denique illecebris plenum dicunt. Attamen hæc præstantissima Jovis natura his in fabulis adhuc corpus est immensum, in quo omnia quæ sunt et vivunt continentur (3).

(1) Creuz., ibid. — Plutarch. in Coriolani Vitâ, Steph., p. 214, E: Εἴτε Διὸς πολιέως ἱερὸν ὅντα τὸν τῆς δρυὸς σπέφανον....

(2) Cic., de Natur. Deor., II, 24.

(3) Orphica. Ed. Hermann., p. 457, ex Proclo in Platonis Timæum :

Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς βοστατος ἀρχικέραυνος,

At Jovem naturæ et elementorum minus, hominis autem et divini numinis magis similem fingeit Homerus. Hunc Minervæ, id est sapientiæ et intelligentiæ, genitorem (1), hunc prudentissimum (2), hominumque et deorum summum principem et regem; hunc bonum, et mansuetum, et preces mortalium exaudientem appellat (3); in Odyssea denique, judex summus est Jupiter qui nos inspicit agentes, omnia nostra scelera novit et ab omnibus quicumque peccaverint justas repetit poenas (4).

Quòd si apud philosophos quæ fuerit Jovis indoles quæram, apud eos melior et præstantior progredientibus appareat sæculis; ita ut Pherecydæ primum principium (5), Pythagoræ bonum ipsum

Ζεὺς κεφαλή, Ζεὺς μέσσα· Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.

.....  
καὶ Μῆτις, πρῶτος γενέτωρ, καὶ Ἐρως πολυτερπής·  
πάντα γὰρ ἐν Ζηνὸς μεγάλῳ τάδε σώματι κεῖται.

(1) Iliad., I, 202 : Διὸς τέκος, passim.— VIII, v. 38. Hymn. XXVIII, 4-5.

(2) Iliad., I, 308. — Hymn., ibid.

(3) Iliad., passim.— XVI, 233.

(4) Odyss. XIII, v. 213-214 :

δέτε καὶ ἄλλους

ἀνθρώπους ἐφορᾷ καὶ τίνυται, δέτις ἀμάρτη.

(4) Pherecyd. fragm., ed. Alt. Stürz, p. 38.

(5) Stob. Eclog. I, 1.

mensque et intelligentia, Platoni tandem *Noūs*, pater, divinus artifex, Providentia, bonum absolutum, regia demum et verè vivens anima esse videatur (1).

Has si conferamus varias de Jove fabulas et opiniones, in iis aliquid commune nobis occurrit. In omnibus enim tum sapientia et prudentia quæ mentis sunt, tum procreandi, conservandi et regendi vis, tum demum amor et beneficentia, quæ omnia Deo tribuere nemo non potest, aut in media superstitionis caligine pene recondita latent, aut à philosophis plena et aperta in lucem proferuntur.

Hanc autem Jovis naturam, hoc numen pro more divisorunt, unde ex uno simplicique Deo Deorum multitudo effluxit. Hunc, exempli gratiâ, Agoræum, qui eloquentiæ foroque præsideret (2); Hercæum (3), qui focos, domos, hortos, tueretur; Phratrium (4), id est sacrarum congressionum protectorem; Genethliumque (5), procreationis scilicet Deum et principem colebant Athenienses. Erat in Arcadiâ Philii Jovis, Amicitiæ faventis delu-

(1) Plat., de Republic., II, 379.—VII, p. 517.—Timæus, p. 30-38 passim. — Phileb., p. 30.

(2) Plut., de Genio Socratis, Steph., 489, E.

(3) Creuzer, Rel. Ant., t. II, 566.

(4) Plat., Euthyd., p. 302.

(5) Plat., de Legibus, V, p. 729.

brum, in quo Dei signum Baccho simillimum posuerat Polycletus (1). Alipheræ autem Lecheates dicebatur, à graeco verbo λέχος, quod Minervam peperisset (2). Hunc salvatorem invocabant Messenii (3), aliique aliis nominibus quæ si omnia referre velim, vix numerandi finem faciam.

Ergo ut sua cuique Minerva, sic suus cuique fuit Græcorum genti Jupiter.

§ V.

Quis et quā indole fuerit Phidiaë Jupiter Olympius.

Quod de Phidiaë Jove non certò minùs quam de Minervâ asseveravit Tullius, id est hoc signum ad platonicas rationes (multis antequam suum scripsisset Plato Convivium annis), excoxitatum et confectum fuisse, non desunt qui verum censeant et dicunt. Quos inter Quincius noster et Ot. Mullerus in primis sunt numerandi (4). Hæc autem inter artis toreuticæ principem et philosophum cognatio in quo præcipue consistat quum satis aperte neuter monstraverit, id ut de Minerva, sic quoque de Jove,

(1) Pausan., VIII, 31, 4.

(2) Id., VIII, 26, 6.

(3) Paus., IV, 21, 6.

(4) Quatremère de Quincy, Jupiter Ol., p. 214. — Otfried Müller, de Phidiaë vitâ, commentatio altera, p. 62-63.

enucleare et ad certas redigere rationes mihi in animo est.

Quæ fuit igitur Jovis Olympii forma? Quam in ejus vultu indolem insculptam fuisse credere debemus? Id in nostrâ disquisitione non parvo est adjumento quod de viâ quam secutus est ut suum inveniret Deum, nos Phidias ipse fecit gnaros. Quum enim ab eo sciscitaretur frater ejus Panænus (1) unde Jovis sui forma illi in mentem venisset, respondit ille se, dum Homerum legeret, maxime commotum veram Dei imaginem tanquam effulgentem vidisse his in poetæ versibus :

<sup>7</sup> Ή, καὶ κυανέησιν ἐπ' ὄφρύσι νεῦσε Κρονίων

*Ἄμερόσιαι δ' ἄρα γαῖται ἐπερρώσαντο ἀνάκτο*

Κρατὸς ἀπ' ἀθηνάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὀλυμπον (2)

Ita igitur his tribus Homeri versibus, his dico, non aliis, afflatus erat artifex ut Jovem ipsum sibi videre videretur. At in eâ re totum viri illius declaratur ingenium. Nam, etiam si celeberrimus omnium sit vates Homerus, tamen non semper optimum et verè Deum nobis Jovem obtulit. Imo Platonii Tullioque assentire nos ratio cogit quum poetam increpant illi, et meritò Deorum regem ad

(1) Strabo, VIII, p. 354.—Plutarch. in Paul. *Aemili vitā*, p. 270.—Valer. Maxim., III, 7.

(2) *Iliad*, I, v. 528.

similitudinem imbecillitatis humanæ traductum vehementer improbant (1). In Homeri enim Iliade duplex est, ut ita dicam, Jupiter. Alter autem adeò imperfectæ est naturæ ut nullus sit mente sanus homo qui istius se similem esse velit. Namque ab illo in vincula conjectam Junonem (2), et de cœlo dejectum, quod matri opem ferret, Vulcanum (3) audimus. Illum cum cæteris præliantem Diis, et Pandaro ut fidem violet, ictumque foedus et inducias rumpat, suadentem accipimus (4). Quem si Jovem effinxisset Phidias, an eum credas Græcorum aliquid adjecturum fuisse religioni (5)?

At omnia haec quæ summæ sunt plena futilitatis spernit repudiatusque Phidias. Alterum autem Jovem, verum dumtaxat, vix adumbratum agnoscit in tribus tantum versibus, per quos haud secus ac per gradus rapido ad Deum fertur ascensu. Quam autem nobis indolem in iis Deus ille præ se fert? Bonus est profecto, paternâque benignitate motus, quippe qui filiæ preces magnâ cum bonitate exaudiat. — Potens, aut, ut rectius dicam, omnipo-

(1) Platon. de Republ., lib. II, 379-380. — Cicer. de Nat. Deor., II, 28.

(2) Iliad., XV, v. 18.

(3) Ibid., I, 588.

(4) Ibid., IV, v. 70.

(5) Quintilien, XII, 10.

tens est; namque nutu magnum tremefacit Olympum. Mente denique potens est in primis, utpote qui non brachio, nec fulgure, non vi corporis, sed supercilio, sed capite, quod mentis sedes est, mundum universum commoveat. In illo igitur Jove quidquid humanum, quidquid vitiosum erat sublatum est, neque quidquam remanet nisi mens, potentia et benignitas quae excellentissimae, et dignissimae optimo Deo dotes sunt. Ex quo sequitur Phidiam, in sua Jovis imagine, neglectis spretisque omnibus quae a divino numine aliena erant, ab Homericō Jove hoc solum retinuisse et elegisse quod Deum deceat, et in quo ejus potissimum natura consistat, vim scilicet intelligendi, agendi et amandi. Ea igitur fuit Jovis Olympii quem sculpsérat Phidias indeoles, ut eum ad similitudinem perfecti animi, et ad ideam aeternae pulchritudinis, quantum in arte statuaria inerat, deum factum fuisse ratio comprobet. Quid enim pulchrius quam animus in quo mens, vis agendi et benignitas miro quodam vinculo conjunctae consiantur?

At aliud hic occurrit quod Phidiæ quoque laudi vertendum est. Tot in Græcia Joves, parum abest, quam gentes fuisse jam diximus. Horum Deorum nullus neque totum numen, neque totam Jovis indolem in suâ complectebatur naturā. Nobis autem

Olympium Jovem intuentibus, minimè in eo privatum, minimè hujus aut istius gentis dilectum numen reperire est. Ab Eleis Olympium Jovem fabricandum acceperat Phidias. At quum ad Olymnicos ludos ab omnibus Græciæ concurrerent partibus, sicque non inter Eleos tantum, sed Græcos inter omnes hoc fieret certaminis genus, ut verè Olympius videretur, Panhellenium esse Jovem oportebat. Duplicem igitur et utramque pravam sequi viam poterat Phidias; alteram ut divisi Jovis et quodam modo cujusque gentis pietate in minutis partes concisi multiplicem fingeret imaginem, quod nequaquam in artis statuariæ rationem cadit; alteram ut unum tantum è tot Jovibus (quod omnibus cæteris qui non eum colebant populis vehe- menter displicuisse) (1) in Altis templo poneret. Præpotenti autem ductus ingenio, utrumque fugere maluit vitium, et tertiam, eamdemque optimam, viam elegit. Non enim omnes varias Jovis formas et privatas species neque in numinis ipsius vultu, neque in parergis ridiculum in modum accumulavit. Non Philium, verbi gratiâ, et Bacchi persimilem, ut Polycleto placuit (2); nec Euanemum

(1) E. David. Jupiter, Recherches sur ce dieu, t. II, p. 562.

(2) Pausanias, VIII, 31, 4. Τοῦ περιβόλου δέ ἐστιν ἐντὸς Φιλίου Διὸς ναὸς, Πολυχλείτου μὲν τοῦ Ἀργείου τὸ ἄγαλμα, Διονύσῳ δέ ἐμφερές.

quem in Sciade Spartana Lacedæmonii colebant (1); nec Apomyium, id est muscas arcentem, cui sacra faciebant Elei (2), sed Jovem eum effinxit, in cuius numine omnes illi cæteri Joves tanquam involuti continerentur. Namque qui sapiens, potens et bonus est, is quidquid hominibus optimum est dare, quidquid malum arcere, omnia denique prævidere, regere et administrare valet. Ex quo sequitur Jovem Olympium, ita excogitatum, etiamsi id non significaverit artifex, Agoræum tamen, Hercæum, Euanemum, Apomyiumque fuisse, cæterasque omnes quæ sunt majestatis divinæ habuisse dotes.

Itaque nihil aliud nisi ea quæ jam in Jovis vultu expressa deprehendimus, nec in vestitu Dei, nec in habitu, nec in ipsius simulacri parergis indicari Phidias voluerat.

Primùm enim animadvertendum est non stantem, sed sedentem in solio exsculptum fuisse Jovem Olympium (3), quod regis, judicis nec non

(1) Ibid., III, 13, 8.

(2) Paus., V, 14, 1. Φασὶ δὲ Ἡρακλεῖ τῷ Ἀλκμήνης θύοντι ἐν Ὄλυμπίᾳ δὶ’ ὅχλου μάλιστα γενέσθαι τὰς μυίας· ἔξευρόντα οὖν αὐτὸν ἢ καὶ ὅπ’ ἄλλου διδαχθέντα Ἀπομυίῳ θῦσαι Διέ, καὶ οὕτως ἀποτραπῆναι τὰς μυίας πέραν τοῦ Ἀλφειοῦ.

(3) Pausan. V, 11, 1. Καθέζεται μὲν δὴ ὁ θεὸς ἐν θρόνῳ γρύνοις πεποιημένος καὶ ἐλέφαντος.

legum latoris proprium est (1); sicque iterum infinitam ejus declaratam fuisse potestatem.

Deindè, nulla involuta vestimento corporis pars superior ab omnibus aspici poterat, velata autem depicto latebat pars inferior pallio, quòd mente, quæ humanæ naturæ pars est præstantior, Deum concipimus et novimus, sensibus autem, quæ nostri pars est inferior et ad terrestria tantummodo spectans, nec Deum nec invisibilia, sed ea solum percipimus quæ sub oculos cadunt (2).

Utrumque Dei brachium sphinge Thebanum puerum rapiente fulserat artifex (3), ut hoc etiam signo quisque absconditarum rerum scientiam in Deo residere disceret (4).

In parergis denique sceptrum cum aquilâ, victoriā, ipsam ex ebore et auro, et coronam capiti circumjectam addiderat Phidias. At aquilâ sol aut lux, aut intelligentia, aut regia potestas, quòd avis illa sublimi volatu ad altissimas puri ætheris regiones sese ferens, cœlorum regis haberetur sym-

(1) E. David. Jupiter, recherch. etc., tom. II, pag. 567. Visconti, Mus. Pio. Clement., tom. I, p. v, tav. 1<sup>a</sup>. « Siede egli quasi si conviene a sovrano. »

(2) David, l. l.

(3) Pausan. V, 11, 2. Τῶν ποδῶν δὲ ἐκατέρω τῶν ἔμπροσθεν παιδές τε ἐπίκεινται Θηβαίων ὑπὸ σφιγγῶν ἡρπασμένοι, κ. τ. λ.

(4) E. David, l. l., p. 573.

bolum (1); — sceptro necnon Victoria vis omnia regendi et mali ubicumque sit arcendi; coronam denique justitia et bonitas quae suum cuique tribuit significantur. Quocirca de Jove nostro, ut de Minerva, eum non *καθ' ἔκαστον*, sed *καθ' ὅλου* fecisse Phidiam dicere non dubitaverim.

Restat ut illam *καθ' ὅλου* et pulcherrimam animo naturam in pulcherrimo corpore à Phidiā positam fuisse ostendamus. Hic autem convenient omnes antiquitatis scriptores eximiam, exquisitissimam, mirandam, quam maxime Deo dignam Jovis Olympii formam conclamantes. Hic Tullius in Oratore, hic Livius, hic Paulus Aemilius, teste Plutarcho, hic multi alii quorum admiratio in his Quintiliani verbis mihi tota contineri et summa vi exprimi videtur. « Cujus (Jovis), ait ille, pulchritudo ad- « jecisse aliquid etiam receptae religioni videtur ; « adeo majestas operis aequavit Deum. » Eaque erat corporis et vultus Dei supra verum pulchritudo, adeo perfectum opus, ut Phidiæ artem a Deo ipso comprobata perhiberent. Nam quum expolito jam simulacro, Jovem ipsum rogavisset artifex ut sibi gratum esse opus signo quodam testaretur, templi pavimentum de caelo repente tactum est : Αὐτίκα δ' ἐς τοῦτο τοῦ ἐδάφους κατασκῆψαι κεραυνόν

(1) Suidas v. Ζεύς.

φασιν (1). Ex quâ fabulâ quantam apud veteres famam obtinuerit Phidiaë Jupiter Olympius satis superque patere censemus.

At nisi istius colossei simulacri forma gratiam cum robore conjunctam oculis obtulisset, hanc Jovis Homerici qui mitis est et benignus simul ac omnipotens, veram effigiem præbere non dixissent veteres (2). Quam Phidias mansuetudinem et gratiam non solum mollibus oris divini arridentis leviter lineamentis, ut probabile, sed gratiarum figuris bis in throno ad toreuticæ artis rationes, ut certum est, sigillatis (3), Jovi suum, summum quidem et cœleste, decus induxit.

Quid igitur è nostra de hoc Jove disquisitione concludendum? Nil nisi hunc ita ab artifice excogitatum et exsculptum, 1° ut non privati nec proprii alicui genti numinis, sed καθ' ὄλου Jovis foret imago; 2° ut in eo animi perfecti, id est mente, vi agendi et benignitate prædicti, eluceret pulchritudo; 3° ut è roboris leporisque conjunctione et consensu formam hauriret pulcherrimam.

(1) Pausanias, V, 11, 9.

(2) Dio Chrysost., Or. 12, de Dei cognitione, p. 209 : Τὸ πρέπον εἶδος καὶ τὴν ἀξίαν μορφὴν τῆς θεῶν φύσεως ἐθημιούργησας... x. τ. λ. — Strabo, lib. VIII, p. 354.

(3) Pausan. V, 11, 7.

§ VI.

De Phidiae Venere Uraniâ, Amazone et signis quæ in utroque Hecatompedi fastigio posita erant.

Nunc de cæteris quæ satis nota sunt Phidiae operibus loquendum ; quæ, ni fallor, nova mihi, quibus fulciatur sententia mea, argumenta suppeditabunt.

Inter ea, nec multa quidem, quorum nomen ad nos pervenit, primum occurrit hoc Veneris signum ex auro et ebore factum, et altero pede premens testudinem, quod Elide, in Veneris Cœlestis templo, vidit Pausanias (1). Quòd si hoc in ebore Homeri Venerem ita ad voluptatem pronam ut, neglecto conjugे, cum Marte in adulterio congerderetur, effinxisset Phidias, nostro de illo artifice judicio diffidere cogeremur. Hoc autem in opere suî similis remansit, eamdemque quam in Minervâ ac Jove creandis rationem adhibuit. Quod perpau-  
cis manifestum faciam.

« Venus prima, ait Tullius, Cœlo et Die nata;  
« cuius Elide delubrum vidimus; altera spumâ  
« procreata, ex quâ et Mercurio Cupidinem secun-  
« dum natum accepimus; Tertia Jove nata et

(1) Pausan., VI, 25, 1.— Plutarch. Conjugalia præcepta. Steph., 142, D.

« Diona; quæ nupsit Vulcano.... Quarta Syria  
« Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur; quam  
« Adonidi nupsisse proditum est (1). » — De prima  
Venere, eam ab aliis et præcipue à Populari disser-  
nens dixerat in Convivio Plato : « Πῶς δ' οὐ δύο τὰ  
θεά; ή μὲν γέ πως πρεσβυτέρα καὶ ἀμήτωρ, Οὐρανοῦ θυ-  
γάτηρ, ἦν δὴ καὶ Οὐρανίαν ἐπονομάζομεν· ή δὲ νεωτέρα,  
Διὸς καὶ Διώνης ἦν δὴ Πάνδημον καλοῦμεν (2). Fuerunt  
igitur procul dubio multæ Veneres, sed duæ præ-  
sertim, quas Græci colerent; cujus altera, nulli  
nupta, sine matre creata, Cœlique filia, et quæ Cœ-  
lestis inde nomen duxerat; altera autem quæ nata  
Jove et Dionâ, nupta fuit Vulcano et Popularis vo-  
cata. Prioris autem Veneris imaginem à Phidiâ  
Elide factam tum Tullii, tum Pausaniæ constat te-  
stimonio (3).

Et jam quæ fuerit utriusque Veneris indeoles et  
natura è nominibus perspicuum. Sed quantum  
inter se discrepant nos Plato in eodem Convivii  
loco docuit. Cui si fidem adhibeamus, ministrum  
amorem Venus habet utraque. At Popularis Veneris  
minister Amor popularis ipse, vulgarisque omnino  
est, et homines ad vulgaria, imò ad turpia impellit.

(1) *De Naturâ Deor.*, III, 23.

(2) Platon. *Conviv.*, p. 180.— Stob. *Eclog. phys.*, I, 272.

(3) V. quoque Plutarch., *Conjugalia præcepta*. Steph., 142, D.

Uraniam autem sive Cœlestem qui sequitur Amor, ut natu majori, et placidiori ob extinctum juventutis ardorem, numini paret, non corpora sed animos amat et in primis nobiles maximèque intelligentiae et sapientiae participes animos (1). His addenda Pausaniæ verba dicentis Thebis tres Veneres fuisse quæ adeo vetustæ essent ut ab Harmonia, Cadmi conjugæ, dedicatae traderentur. Harum autem prima, Cœlestis nomine, purum significabat et corporum cupiditate vacantem amorem. Altera autem ob venereo congressus Popularis vocabatur. Tertia, Apostrophiæ nomen habebat quod ab incestis stupris hominum genus averteret (2). Cæterum, Uraniaæ pede pressa testudo, quod apud Indos cœleste animal est (3), populari autem adjunctus hircus, lasciva admodum et libidinosa bestia, cujusque Deæ indolem et naturam satis indicabant (4).

Igitur quum menti Phidiæ inter plures duæ saltem occurrerent Veneres, Popularem rejicit, cœlestem contrâ celo natam, sine matre, nuptiarum expertem, animorumque intelligentiâ et sapientiâ eminentium amantem elegit. Quumque esset

(1) Platon. Conv., p. 181.

(2) Pausan. IX, 16, 3 et 4.

(3) Creuzer, Rel. antiq., trad. fr., t. II, p. 655.

(4) Plutarch, Conjugal. præcepta : Steph., 142, D, Οἰχουρίας σύμβολον ταῖς γυναιξὶ καὶ σιωπῆς Χελώνη.—Paus., VI, 25, 1.

et mente et indole præstantior, hanc pulcherrimo corpore non facere non potuit artifex (1). Ita ut in Venere non minùs quàm in Minervâ effingendâ, eumdem èdem viâ finem Phidias persecutus sit.

At, dicet forsitan aliquis, quomodo fieri potuit, quùm Phidas in arte suâ peritissimus omnium habitus fuerit et cæteros adeo supereminuerit, ut illius nomine quod nobilitavit sæculum designetur, quomodo fieri potuit ut, quum Ephesi inter quinque celeberrimos artifices, utrius pulcherrima foret Amazonis imago decertaretur, Polycletus primas, Phidas autem secundas solùm obtinuerit (2)? Nonne amazonum indoles virginitate, et bellica virtute, necnon corporis vigore, Minervæ indoli similis huic Phidiæ artis rationi de quà nunc agitur maximè et aptissimè congruebat?... Quæ cur negem nihil habeo. Sed hìc in mente nostrâ sit infixum oportet Phidiam Diis quàm hominibus efficiendis meliorem artificem creditum; Polycletum autem, « quamvis humanæ formæ decus ad- « diderit supra verum, nihil ausum ultra leves ge- « nas, nec deorum auctoritatem explevisse, illique

(1) Plin. Hist. nat., XXXVI, 5 : Et ipsum Phidiam tradunt sculpsisse marmora, Veneremque ejus esse Romæ in Octaviæ operibus *eximiæ pulchritudinis*.

(2) Plin. Hist. Nat., XXXIV, 8.

« defuisse pondus (1). » Quod si jure dixerit Quintilianus, (cui nemo est apud veteres qui non assentiat) a Phidia non feminam bello et certaminibus nimis gaudentem, non efferam viraginem, sed mente divinâ virginem præditam, et Deam, ut solebat, Dianæ germanam aut Minervæ, majestate cœlestique dignitate venerabilem exsculptam fuisse (2); Polycletum autem, sicut ejus mos erat, puellam supra verum quidem decore et venustate pulchram, sed mortali feminæ similem multò magis fecisse. Uterque igitur hoc in certamine suam servavit laudem, et quòd à Polycleto exsuperatus fuerit Phidas eò major insigniorque, utpote qui nihil nisi divino numine dignum nec excogitare nec sculpere potuerit, mihi esse videtur. Ea tamen fuit ejus ingenii vis, ut vel in humanâ formâ, quamvis eum Deos effingere magis juvaret, neminem nisi Polycletum æmulum habuerit.

Denique, quod mihi ultimum est argumentum, utriusque Hecatompedi fastigii quæ supersunt signa consideranti absolutam eximiæ pulchri-

(1) Quintil. Inst. Or., XII, 10.

(2) Adeò formosa fuit Amazonis quam fecerat Phidas imago, ut illi post Lemniam Minervam secundum adscripserit locum Lucianus : Τί δ' ἀλλο (ἐπήνεσας) ἢ τὴν Λημνίαν; καὶ, νὴ Δία, τὴν Ἀμαζόνα, τὴν ἐπεριδομένην τῷ δορατίῳ; Imagines. C. 4. Vide suprà § 1.

tudinis ideam, Platonica jam ratione, Phidiam attigisse compertum erit (1).

Principio hâc pulchritudine et formâ quæ nunquam in uno eodemque homine continetur, sed totius generis est, et ideo apud nos generalis, ut apud Platonem  $\pi\alpha\theta'$  δλον dicitur, esse illa simulacra confitendum (2). Quis enim, quamvis juvenis ille formosissimus, quem Ilyssum aut Herculem juniorem appellant, veram corporis humani præbeat speciem : quis unquam ejus similem in viventium numero inveniet? Sic, dum juvenum qui pulchro sunt corpore universum genus ad Ilyssi similitudinem natum videtur, nullus tamen est cuius id simulacrum propria sit veraque imago (3). Nullum igitur, quum hunc fecit, juvenem ante oculos recubantem quem imitaretur habuit Phidias. Sed postquam multos tum in gymnasio aut curriculo luctantes, tum stantes in Ageladæ officina vidisset

(1) Quæ ab ipso Phidiâ facta fuisse simulacra plerisque qui de artifice nostro scripserunt, sed præsertim Quincio, Emerico Davidi, Mulleroque minime videtur dubium.

(2) Quatr. de Quincy, Lettres à Canova, p. 157, 1836.  
— Ot. Müll., de Parthenonis fastigio Comment. 2 et 3. Vide tabulam ad fasciculi calcem.

(3) Cf. Quatremère de Quincy, Essai sur l'Idéal dans ses applications pratiques aux œuvres de l'imitation, etc., p. 57.  
Paris. 1837.

athletas, sensim, hujus varii frequentisque spectaculi stimulo mens artificis excitata, ad eximiam pulchritudinis speciem, id est ideam, tandem sese extulit. Quæ via multo magis quâm si ad cujusdam aut hominis, aut etiam perfecti absolutique ab artifice quodam canonis similitudinem manum duxisset, certa erat. Namque Canones et Doryphoros homines faciunt; at pulchritudinis summam ideam, quum nos in lucem edidit, in mente nostra Deus ipse insculpsit. Et, me quidem judice, canones isti quibus uti solent artifices, auxilia tantum, non autem exemplaria illis esse deberent; nec si doryphorum quemdam contemplando (namque suum florente Phidia nondum forsitan fecerat Polycletus) pulcherrimam corporis humani formam quæsivisset Phidias, non, herclè, perfectas adeo nobis Deorum reliquisset effigies. Ille igitur non  $\pi\alpha\theta'$  θλου solum, sed absolutam quoque in Hecatompedi signis pulchritudinem impressit.

Sed quæ laudamus simulacra animo et mente quæ in illis spirare videtur pulchra sunt in primis. Quod duplice monstrare possum ratione. Et primum, magna vi, magno robore plena miraque florentia valetudine stant, aut recubant, aut agunt. At in iis quæ certant aut sese movent, is est membrorum et corporis totius motus ut ne minimum quidem in illis conatum suspicari liceat. Sic Mi-

nerva, sic Neptunus, sic illa quæ frementes equos cohibet Victoria, divinâ admodum moventur facilitate. Sic Ilyssi, sinistrâ fulti et semet aliquantis per sublevantis ut Minervam Neptunumque luctantes aspiciat, vix corporis pondus manus et brachium ferre videntur. Alii autem cœlicolæ qui sedentes aut recubantes adsunt, è mente sunt et et placiditate animi quæ maxime Deos decent.

Ast aliud est quo animi pulchritudo his in simulacris declaretur. Nullis unquam in artis statuariæ operibus tanta pudicitia, tanta honestas, tan-taque castitas eminuit. Sunt ibi Deæ tantæ venustatis et dignitatis, tantique leporis ut tale nihil non solum inveniri in terris, sed vix possit exco-gitari. Earum tamen nulla nec se pulchram esse novit, nec videri cupit, quod Mullerum non fugit dicentem : « Nullas esse mulieres omni placendi « cura et studio alieniores quàm Phidiæ Deas. » Ex quo efficitur ut eas contemplantis et earum eximiā admirantis formam non sensus, sed animus solum commoveatur, et quod absolutæ sum-mæque pulchritudinis proprium est et peculiare, mens ad supremi numinis sublimes erigatur se-des.

Et nunc quem in Minerva et Jove florentem vigorem cum gratiæ lepore conjunctum ipsaque tempe-ratum fuisse certum est, hunc eumdem in fractis

Hecatompedi marmoribus quis non videat? Nihil tamen est in illis nec rigidi, nec prisci, nec æginetici; nihil quadrati quidem, quod in Polycleti signis, teste Plinio, reprehendebatur (1). Neque ea ambitioso sunt adspectu, sed simplici majestate et è dignitate quæ Deorum auctoritatem expleret, eoque pondere quod in Polycleti desiderabatur operibus (2). Nec ea simulaera gratiâ aut lepore carere nemo dicere potest. Imo ea est in illis gratia ut non eam quæsitam ab artifice, sed sponte natam eredas. Quo fit ut, etiamsi non ipse Phidas se non nisi numine commotum et afflatum labori incumbere nos monuisset, id satis compertum haberemus. Nam qui venustatem, leporem aut eximiam ex politamque formam nimio cum studio persequitur et, ut ita dicam, aucupatur, eum in affectatam jucunditatem et in hoc sculpendi genus quod scenicum merito vocaretur, incidere necesse est (3). Hoc autem vitium, etsi multorum juvet allicitaque oculos, maximâ curâ fugiendum est; et hoc vitabit ille qui donec adsit Deus, scilicet in

(1) Ot. Mülleri de **Phidiæ vitâ** Comment. alter., p. 65.

(2) Plin., Hist. Nat., XXXIV, 8.—Winkelmann. Hist. de l'art., trad. fr., t. II.—Ot. Müll. de Phid. Comm. alt., p. 49.

(3) Quintil. Inst. Or., XII, 10.

(4) Themistius. **Orator**, 25: De dicendo ex tempore: Χρόνου γε ἐδείτο καὶ σχολῆς πλείονος εἰς τὰ ἔργα.

mente toto cum splendore suo eximiæ pulchritudinis effulgeat species, exspectat, nec invitâ, ut aiunt, laborat Minervâ. Quod quidem fecisse Phidiam constat cui tempore, otio, magnâque opus erat tranquillitate, tum ut donec adesset numen expectaret, tum ut ad ideam, quam afflatus et commotus præsentî deo conceperat, artem et manum aptissime dirigeret.

§ VII.

Quid è rebus supra dictis sequatur.

Quod si nos mens nostra non fefellit, ex his quæ jam diximus sequitur :

1º Phidiam in Deorum naturâ summam residere pulchritudinem credidisse, quippe qui his efficiendis totum ingenium dederit, totumque consumpsserit vitæ spatum.

2º Deorum pulchritudinem in eo constare intellexisse quòd pulcherrimum haberent animum, ideoque eos elegisse effingendos Deos qui supra cæteros omnes essent, Jovem scilicet et Minervam, iisque perfectum animum tribuisse.

3º Hoc illi fuisse compertum non hujus aut illius naturam, sed animum quem Deos omnes possidere deceret, non  $\pi\alpha\theta'$   $\xi\kappa\alpha\sigma\tau\omega$ , sed  $\pi\alpha\theta'$   $\delta\lambda\omega$  animum pulcherrimum esse, et ob eam rem illum Minervam Jovemque iis tantùm præditos fecisse dotibus quæ

cæteras omnes comprehendenter et sine quibus divinum numen nullum esse possit.

4º Phidiam Deorum pulcherrimum animum pulcherrimâ corporis expressisse formâ ; et quùm sine gratiâ et vigore nullum sit pulchrum, nullum formosum corpus, Deorum corpora suorum itâ sculpsisse ut nec lepore, nec viribus carerent.

5º Sicque tam divina Deorum imagine itâ commovisse hominum mentes et pectora ut eum meritò receptæ aliquid adjecisse religioni dixerit Quintilianus.

Sed quâ viâ, quâ ratione, quâque disciplinâ hunc attigit finem insignis artifex ?

1º Primum athletas Ageladâ duce et magistro, pulchra scilicet sed vigore magis quâm præsenti mente et animi dotibus corpora sculpsit Phidas.

2º Minervam deindè sed agentem præsertim et bellicâ vi præditam effecit.

3º Quum jam maturâ esset ætate, Minervam excogitavit in Parthenone dedicatam : hanc autem sapientiâ et prudentiâ, maximâque intelligentiâ non minus quam agendi et vincendi potentiâ valentem videri voluit.

4º Tandem exsul apud Eleos (1), senex quidem,

(1) Philochor. in Schol. ad Aristoph. Pacem, v. 605. — Quatrem. de Quincy, Jup. Olymp. Vid. suprà, p. 6.

sed viridi senectute, quum pleno foret ingenio,  
Jovem intelligentem, omnipotentem et bonum edi-  
dit, quem nullus unquam æmulatus est.

5º Ut autem optima, perfecta, Diisque digna  
forent opera, non mortalia corpora, sed in mente  
insitam æternæ pulchritudinis effigiem contempla-  
batur, donec numine jam propiore dei afflatus et  
commotus, veram videret et imitari posset Deorum  
effigiem.

### § VIII.

Comparatur Platonis de Pulchro doctrina cum Phidiæ  
sculpendi rationibus.

Recentioribus annis adeò explicata, enucleata,  
vulgataque fuit tum ab illustrissimo Dialogorum  
interprete, tum eruditissimorum operâ virorum  
Platonis de æternâ pulchritudine doctrina, ut mi-  
nime novâ luce indigeat. Attamen quum nisi in  
promptu sit, haud facile ejus doctrinæ cum Phi-  
diacis Deos effingendi rationibus institui possit  
comparatio, divini magistri èa de re placita breviter  
memorare et adumbrare nobis non videtur super-  
vacaneum.

Primum in dialogis, Deum inter et absolutam  
pulchritudinem ne minimum quidem interesse  
nemo est qui nesciat. Quod multis et variis locis

apertissime manifestum legitur. Postquam enim dixit Plato Deum bonum absolutum esse (1), pulchri speciem et essentiam in boni ipsius essentiā infusam et quodam modo immersam jacere assentit (2). Imo boni, pulchri, verique quas vocat ideas nihil nisi quod *divinum* nuncupamus illi videntur esse (3). Denique, ne vel levissimā sua ipsius de pulchri naturā sententia involuta caligine lateat, hoc in Phaedro statuit: pulchri, boni, verique ideas in Deo ipso inesse, et Deum hoc solum verum esse Deum quod cum iis ejus natura penitus sit juncta (4). Ita ut summa pulchritudo Deus ipse sit, nec esse non possit. Hoc igitur Phidiæ Platonique primum commune est, quod Deus et summa aeternaque pulchritudo iis unum et idem esse videantur.

Illi autem, de qua *divinum* in modum loquitur, pulchritudini, in Convivio nullam esse formam quae sub sensum cadat, nec vultum, nec manus, nihil denique quod sit corporis, vatibus admodum similis Plato canit; neque hanc unquam in corpore, sed

(1) *De Republica* II, p. 379; VII, p. 517.

(2) *Phileb.*, p. 64: νῦν δὲ καταπέφευγεν ἡμᾶς ἡ τάχαθοῦ δύναμις εἰς τὴν τοῦ καλοῦ φύσιν.

(3) *Phaedr.*, p. 146: Τὸ δὲ θεῖον καλὸν, σοφὸν, ἀγαθὸν καὶ πᾶν ὅ τι τοιοῦτο.

(4) *Ibid.*, p. 249: Πρὸς οὓς περ ὁ θεός ὁν θεός ἔστι.

in mente et in animo tantum residere docet. Quâ si careat vel formosissimum corpus, deforme ac turpe hoc esse oportet; quam autem si contineat et oris lineamentis oculisque exprimat vultus vel maxime deformis, hunc cœlesti quodam effulgere splendore videoas (1). Idque Socrati accidisse apud Platonem narrat Alcibiades : quamvis enim Sileni speciem oculis referret Sophronisci filius, tam sapienti temperantique erat animo ut illius deformati tatis oblitus, hunc, non secus ac pulcherrimus omnium fuisse, quisque miraretur (2). In hoc autem Platonem assentiri perspicuum est Phidiæ, qui mentis et animi pulchritudinem simulacris quæ faciebat imprimere enitebatur.

Animi pulchritudo in tribus, judice Platone, vero scilicet, bono et mensurâ sive modo quem ξύμετρον vocat, consistit (3). At, ut bonus est et invidiâ expertissimus Platonis Deus, quidcumque in se perfecti est hujus mundum participem efficit (4). Ex quo sequitur ut bonum, mensurâ plenum et felicissimum animal sit mundus (5). Quum autem talem informat mundum summus divinusque arti-

(1) Convivium, p. 210.

(2) Ibid., 215.

(3) Philebus, p. 64.

(4) Timæus, p. 29, 30.

(5) Ibid., p. 34.

fex, ideas, ad quarum similitudinem omnia fingit, novit intelligitque. Mentem habet igitur et intelligentiam. At quum rerum universitatem in ordine, ideas intuens, ponit, agit Deus profecto. Ergo vim agendi habet Platonis Deus. Denique quum invidia sit expers, quum expoliti viventisque mundi spectaculo gaudeat (1), bonus est. Ergo vim habet et amandi et gaudendi, felicitatemque dandi necnon sentiendi. Sic tribus excellentissimis dotibus Deum suum praeeditum Plato voluit esse. Hæc autem tria eadem Minervæ et Jovi tribuerat Phidias, et in hoc iterum philosophum et artificem planè convenisse perspicuum est.

At si ad veri, boni, mensuræque, ut Platonii placuit, similitudinem factum est quidquid exsistit, ea tria sunt omnibus maxime communia rebus, nec ea immerito τὰ καθ' ὅλου nuncupavit philosophus. Sed communia sunt quoque maxime universis hominibus et animis hæc tria, è quibus tanquam ex æterno et triplici fonte verum, bonum, pulchrumque defluunt, mens scilicet, vis agendi et vis amandi quâ, ut ait ipse Plato, ut pulchra dicamus et faciamus impellimur. Καθ' ὅλου in primis sunt igitur eæ animi dotes sine quibus nec Deus nec homo esse potest. Nec tamen credas me cen-

(1) Tim., pag. 34.

sere Platonis Dei naturam in his tantum consistere vanis et cogitatione ab omni re separatis speciebus quae à scholasticis *universalia* vocabantur. Nihil sunt omnino universalia ; Deus autem Platonis est, et vivit, æternumque vivet. Quum tria quae divini numinis animo tribuit ille  $\alpha\alpha\theta'$  οὐ nomine designat, illa significat exemplaria esse quorum imaginem et naturam nihil est quod pro natura sua non imitetur. Phidiam autem nonne vidimus Jovi Minervæque quod omnibus tum Jovibus, tum Minervis Græciæ commune foret tribuentem ?

Sine corpore Deum esse, et in eo quidem maxime laudandus, Plato existimat (1). Pulchra autem corpora, dummodo in iis pulcher exprimatur animus et spiret, sine libidinosa cupidine contemplantem et sensim  $\alpha\alpha\theta'$  οὐ pulchritudinem concipientem, hunc ad æternam eximiæ pulchritudinis ideam quam olim in cœlo intuebamur, sed cuius in terram delapsi obliti sumus, dicit rursus evehi posse (2). Ita ut, non aliter ac Jovis Minervæque, nec non Uraniæ Veneris formâ receptæ aliquid adjectit religioni Phidias, sic in suâ de ideis doctrinâ, pulchritudinis adspectu quae in animo intelligenti et sapienti splendeat, nos tanquam certissima viâ

(1) Convivium, p. 211; Phædr., p. 247.

(2) Convivium, p. 212; Phædr., p. 251-252.

ad res divinas reduci posse, ideòque debere Plato docuerit.

Nonne igitur æquo jure dicet aliquis hoc primum Phidiæ debuisse Plato quòd quæcumque de pulchritudine scripsit, « ille non intelligendi solùm « sed etiam dicendi gravissimus auctor et ma- « gister (1), » hæc in Phidiæ Deorum vultu expressa et ut ita dicam sculpta invenerit, ita tamen ut ad intelligendum penitus Phidiæ ingenium ingenio Platonis opus fuerit.

Sed præter eximiæ pulchritudinis eburneam imaginem, hoc alterum Phidiæ Plato debuit quòd ab illo quâ viâ ad summæ pulchritudinis ideam perveniatur didicit. Quid enim in Convivio scriptum legimus? Eum scilicet quicumque vult hunc optimum maximeque optandum assequi finem, primùm quamdam humani corporis et vultus pulchritudinem intueri debere, sed quam citissimè et sine ullâ cupidine, et ex eâ ad omnium corporum decoris ideam sese conferre; inde autem ad animi pulchritudinem, quæ corporis pulchritudine multò præstantior est, evadere; inde ad id decoris genus quod in hominum nitet laudandis egregiisque facinoribus, quibus collata corporum venustas minimi prorsus videbitur esse pretii; ab actis autem ad intelligentiam scientiarumque pulchritudinem pro-

(1) Cicer. Orator, III.

gredi et ascendere; quò cum fuerit elatus, illius oculis subito præsens aderit æterna ipsa quæ non nata est, nec unquam peribit, quæ nec crescit nec minuitur; cui nec est videnda forma, nec vultus, nec manus; quæ tandem, immota et suimēt semper similis, nihil nisi Deus ipse est pulchritudo. Cujus ad aspectum ita commovebitur et divino afflabitur numine, ut ex illius mente et animo, miro quodam proventu, non virtutum species, sed vera sinceraque nascatur virtus (1).

Quòd si nunc de Platone ad Phidiam nos referamus, ejusque primis ab annis ad senectutem totum per vitæ spatiū vestigia sequamur, pene hos eosdem per gradus quos numeravit ipse philosophus, artificem nostrum ad ultimam artis suæ metam venisse patebit. Principio enim in Ageladæ ergasterio athletarum imaginibus fabricandis incubuit, sique pulchrorum non mente quidem et animo, sed viribus tantum et valetudine corporum formæ studuit. Mox autem ad heroas inter quos Miltiadem invenimus, Deosque et in primis ad Minervam, id est, ad animi decus, effingendos intentit. Minervam autem ipsam Promachum et Aream primūm, præsertim scilicet agendi vi præ-

(1) Plato, Convivium, p. 212: Τίχτειν οὐκ εἴδωλα ἀρετῆς . . . ἀλλ' ἀληθῆς, . . . χ. τ. λ.

ditam et ea pulchritudine quam actorum et facinorum esse dicit Plato, effecit. Deinde, à maximæ Deæ virtute et facinoribus, ad ipsius prudentiam et intelligentiam progrediente ætate sese evexit, inque Parthenonis Minervæ vultu hanc, quæ scientiis a Platone assignatur, pulchritudinem impressit cum virginitate et virtute conjunctam. Quid autem illi tum restabat, nisi ut in ipso Olympi limine jam sedens et propiore Dei afflatus numine, Deorum regem ipsum, sicque  $\alpha\mu\tau\circ\ \alpha\theta\circ\ \alpha\mu\tau\circ\ \alpha\lambda\circ\alpha\gamma$  contemplantetur, et à cœlo in terram artis suæ miraculo deduceret?

Sed hæc quidem hactenùs. Nunc autem concludere nos liceat è Phidia simulacris verissimam necnon magnificam admodum, quam de summa absolutaque pulchritudine in Convivio scripsit, à Platone haustam fuisse doctrinam, illo tamen eodemque modo quo Phidas ipse ab Homero Jovem suum accepisset.

---

Vidi ac perlegi,

Lutetia Parisiorum, a. d. V id. octobr. ann. M DCCC LII.  
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur,

CAYX.

Pariensis Academiæ Rector.